

«RARA AVIS IN VLTIMA THVLE»: IN DIEM NATALEM SEPTVAGESIMVM PROFESTRICIS SVNNIVAE DES BOUVRIE

Die 16° Novembris anni 2014ⁱ Sunniva (Synnøve) des Bouvrie, profestrix studiorum classicorum in UiT Universitate Arctica Norvegiae, anniversarium suum septuagesimum celebravit. Quo in conexu libellum quendam festivum confici clam curaverant Sigrides Albert, Fridericus Nilsen auctorque huius textus. Praeter viginti sex symbolas scientificas, libello et praefatio bilinguis (Latino-Anglica) et colloquium biographicum atque bibliographia operum a Sunniva divulgatorum demonstrans continentur. Septem autem symbolae Latine conscriptae sunt, nempe Tuomonis Pekkanen, Reijo Pitkäranta, Sigridis Albert, Milenae Minkova, Terentii Tunberg, Theodorici Sacré et denique



*Sunniva des Bouvrie
cum duobus editoribus libri festivi Petro Pippino Aspaas et Friderico Nilsen.*

Curtii Smolak. Etiam reliquae commentationes, cum quidem linguis variis (Anglice, Norvegice, Francogallice, Suetice, Samice, nulla autem Nederlandice, linguā Sunnivae maternā) conceptae sint, summarisi saltem Latinis instructi sunt, Latinitatis vivaे eloquentissimum testimonium. Praeterea delineationibus nonnullis - mirabile dictu! - a Sunniva ipsa factis libellus illustratur.

Per orbem terrarum Latinitatis vivaе fautores fautricesque vocem eius suavem cognoverunt. Rerum antiquarum, praesertim tragœdiae Graecæ classicae, periti lucubrationes eius perspicacissimas admirari solent. Domi autem,



Sunniva cum libro festivo recepta.

potens, ad pugnas academico-politicis «maxime academicam» in extremo septentrione Norvegiae degit.

Kalendis enim Septembribus a. 1972ⁱ, videlicet eodem die, quo primis discipulis aperuit portas suas studiorum Universitas Tromsoensis, in numero magistrorum iam inscripta erat. Postquam Lugduni Batavorum studia classica examine doctorali de Plauto a. 1970^o perfecit, anno insequenti in oppidum Tromsoeanum una cum marito Norvego appulerat. Studiorum universitas, quae eo tempore hic institueretur, magistro vel magistrā studiorum classicorum indigebat. Cum ei persuaderetur, ut opem suam offerret, Sunniva duos suos liberos - filium filiamque - in nepiagogio paululum temporis cottidie relinqueret oportebat. Quod et ut matri et praesertim ut Nederlandae durum erat. Studiorum autem universitas Tromsoensis tum temporis - ut plurimae aliae occidentales - a spiritu quodam «radicali», hoc est eversiones politicas exigente, affecta erat. Quae cum ita essent, mulieres aliquot in Instituto Linguis et Litteraturae dedicato docentes aspectibus femininis litteraturae et linguarum ipsarum enucleandis operam dabant. Quo in numero etiam Sunniva intererat. Femina aeque academica atque feminista devenit.

Vera praedecestrix indesinenter pugnabat (et re vera adhuc pugnat) non solum pro aequalitate sexuum, sed etiam pro linguis «minoribus» sic dictis in sua studiorum universitate servandis. Cum ipsa in summā decem linguas

Tromsoae in gradu latitudinis septentrionali paene septuagesimo sitae, avis rara et unica est. Namque ab studiorum universitate condita usque in diem suum septuagesimum femina haec a patre Nederlando et matre Norvegā in vico Bussum prope Amstelodamum nata, plena eruditione classicā, linguis pluribus versatissima, vestimentis coloribus variatis distincta, ad risum retinendum vix



Sunniva cum sorore sua gemina Bjørghild inter sollemnitatem.

calleret, Sunnivae investigationes propriae semper conspectū internationales respiciebant. Gradatim autem methodo quadam anthropologicā limites philosophiae sensu stricto transgressa fundamenta profundissima societatum humanaarum plus quam duo millenniis a nobis distantium explicare studebat. Qua via cum varia alia opuscula divulgare tum praesertim dissertationem de Feminis in Tragoedia Graeca (*Women in Greek Tragedy*) a. 1990^o defendere potuit. Eadem incubuit quoque in studia hodierna tragoediae antiquae usā simili aspectu anthropologico, quo apta redditā est explanationes nationales et contingentiam historicam in investigationibus innovationes praebentibus vitare. Praeterea haec «rara avis in Ultima Thule» est fidelis advocata usū linguae Latinae in docendo investigandoque atque sodalis eminens Academiae Latinitati Fovendae. Tromsoae quōque modo activo in aliā academiā cooperabatur, nempe in Academia Boreali interdisciplinari, cuius praesidens hōc tempore est.

Photographemata adiecta a Mieke van Heister inter festum officialem in honorem Sunnivae septuagenariae nuper habitum capta erant. Quod ad libellum ipsum festivum attinet, plura legas in interreti:

<http://septentrio.uit.no/index.php/nordlit/issue/view/262>. Qui autem libellum forma chartacea emere voluerit, ad per.pippin.aspaas@uit.no litteras elec-tronicas mittere poterit. Paucissimae enim copiae adhuc exstant.

PETRVS PIPPINVS ASPAAS

[VOX LATINA 199, 2015, pp. 140-142]